



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**


Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XVIII. De pœnis canonicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

sententia priore infirmata, Legionis episcopum restituerunt. Clerus an. 1650. iterum congregatus, hujusmodi attentatis obviam iturus, d. 23. Nov. Nuntio apostolico significavit protestationem adversus Breve Urbani VIII. ne Franciæ episcopis fraudi sit in posterum, causasque episcoporum majores in concilio provinciali, cui vicini episcopi ad numerum concurrentem adhibendi, judicandas esse, salva appellatione ad papam. Immunitas episcoporum 1654. novæ procellæ exponitur, dum senatus Parisiensis a rege jubetur cognoscere de causa cardinalis de Retz, archiepiscopi Parisini, criminis læsæ majestatis accusati, quod eum privilegio indignum reddere videbatur. Sed quum clerus contra niteretur, episcoposque non nisi in concilio episcoporum judicandos demonstraret; delegatione revocata, rex d. 26. April. 1657. publico edicto constituit, ut episcoporum causæ ex præscripto sanctorum decretorum a iudicibus ecclesiasticis definirentur.



C A P. XVIII.

DE POENIS CANONICIS.

I.

RELIQUUM est, ut de *pœnis*, quas iudex ecclesiasticus infligere potest, loquamur, quæ vel mere *spirituales* sunt, ut depositio & excommunicatio; vel aliquid sæculare involvunt, ut condemnatio ad eleemosynas, fusti-

pœnæ
spiritua-
les quæ
nam ?

gatio, carcer. Prioris generis pœnæ ita propriæ sunt ecclesiæ, ut eas semper exercuerit, etiam in maximo persecutionum æstu: quum magis in *abstentione & recusatione*, quam in *afflictione positiva* consistant. Quid enim *depositio* presbyteri aliud sibi vult, quam ut appareat, eum non amplius pro presbytero habendum, neque sacramenta vel doctrinam ab eo accipiendam esse? Quid *excommunicatio* laici, quam ut declaretur, excommunicatum non pro Christiano, sed pro infideli esse habendum?

pœnæ sa-
culares
quænam?

II. POSTERIORIS generis pœnæ, quæ coactionem quandam involvunt, pariter antiquis auctoritatibus nituntur. Nam ab omni tempore ecclesia peccatoribus pœnitentibus eleemosinas, jejunia, aliasque afflictiones corporis imperavit: impœnitentibus absolutio- nem denegavit, eosque, si diu hærent in vicio, neque ad pœnitentiam vel satisfactionem proni essent, excommunicavit. Augustinus fustigationis, per episcopos exercitæ, ad exemplum dominorum, qui servos; parentum, qui liberos; magistrorum, qui discipulos castigarent, meminit^r. Ex quo inferre licet, episcopos virgas expeditivisse in terga juniorum clericorum. Abbates per modum paternæ ac domesticæ castigationis monachos virgis ceciderunt: unde *flagellationes voluntaria* ortæ videntur. Carceres ad tempus vel perpetui in pœnis canonicis numerantur, quia presbyteri & ceteri clerici ob crimina depositi claustris commendati sunt, ut reliquum temporis transigerent in pœnitentia, memoriaque criminis

simul ex vulgi oculis removeretur. Fuere tempora, quibus obstinati & excommunicati, opitulante brachio sæculari in exilium agerentur, quod Nestorio aliisque contigit, vel judici ecclesiastico jusjurandum de solo vertendo præstare tenerentur². Hæ sunt pœnæ in tribunali sacro usitatæ, quarum mitiores salutarem correctionem continent; acerbiores eo tendunt, ut rei fidelibus nocere nequeant, salva conversionis via. A sanguine autem & a suppliciis capitalibus, quæ tempus resipiscendi intercipiunt, omni tempore abhorruit ecclesia.

1) in ep. ad Marcellin. C. 23. q. 5. c. 1.

2) C. 3. X. de crim. fals.

III. NOSTRIS moribus judex ecclesiasticus pœnam *honorariam* decernere potest, modo ea obeatur in prætorio, non vero alibi, ubi non habet territorium. Injungere potest pœnam pecuniariam non multæ nomine, sed *elemosynarum*; ubi opus pium, cui applicandæ, exprimendum. Injungere potest flagellationem remotis arbitris; non fustigationem publice manu carnificis infligendam. Injungere potest clerico extraneo *emigrationem* e diocesi; non vero *exilium* imperare. Injungere potest carcerem perpetuum & ob crimina leviora secessum in monasterium vel seminarium. Quæ distinctiones presse observandæ, ne appellationibus *tamquam ab usu* fenestra aperiatur.

quid juris
in Fran-
cia?

